53

MEDICAL PAMPHLETS — 1613







1) BEUTEL, J.
2) PONTANUS, T.
3) QUECCIUS, G.

Item no. 1 (Beutel) seems to have last page (verses?) not printed

THESES DE ALIMENTI. EXCREMENTIS.

Pro quibus

DEO VOLENTE

PRÆSIDE

CASPARO HOFMANNO
Med. D. & Prof. in inclutâ Altorfina
ordinario,

Pro virili disputabit

JOANNES BEUTEL AM-
BERGENSIS,

Ad diem 2. Octob. Anno 1613.



ALTDORFII
Apud Conradum Agricolam.

Viris

AMPLISSIMIS, PRVDENTISSIMIS VIRTUTE ET AVTORITATE PRÆSTANTISSIMIS Dominis Consulibus, & Senatoribus celeberrimæ Civitatis Ambergensis.

Dominis Patronis & Mecœnatibus suis debita observantia colendis:

NEC NON

Clarissimis atq; Excellentissimis Viris

DN. JOANNI INGOLSTETTERO Philosophiæ & Medicinæ Doctori Celeberrimo

Illustrissimi & Serenissimi Principis DN. CHRISTIANI ANHALtini &c. ἀρχιάτρῳ felicissimo.



&

DN. JOANNI ROSÆ, PHILOsophiæ & Medicinæ Doctori Præstantissimo, & Reipub. Ambergensis Medicophysico ordinario,

Dominis & fautoribus suis observantiæ & benevolentiæ Ergò

Dedicat & offert

JOANNES BEUTEL φιλίατρος.

DE ALIMENTI EXCREMENTIS.

THESIS I.

ALimenti vox apud Hippocratem tripliciter accipitur. Aut de futuro--alimento, quod est cibus & chylus, antequam in sanguinem mutetur. Aut de mox--alimento, quod est sanguis, in visceribus & vasis suis elaboratus, sed nondum à partibus, quæ ali desiderant, alteratus. Aut de jam--alimento, quod est sanguis, à partibus alendis ita factus & perfectus, ut in substantiam illarum transire possit.

II.

Triplici huic alimento triplex vulgò tribuitur sive coctio sive separatio utilis ab inutili. Nam futurum-alimentum paratur in ore, ventriculo & intestinis. Mox--alimentum fieri volunt in hepate solo & annexis venis. Jam--alimentum in omnibus partibus conficitur.

II.

At verò (ut ne dicam hepatis socium esse lienem) cum mox--alimentum substantificam alterationem accipiat etiam à corde, appensisq; arteriis, adeò ut jam dici mereatur ab Hippocrate τροφὴ ἡγεμονικὴ, nostris hominibus das Hertzblut: jure addiderunt Philosophi quartam coctionem, quæ fit in corde.

IV.

Huic alimento secundum omnem significatum opponitur Excrementum, cum dicitur à Philosopho ὑπόλειμμα τῆς τροφῆς.

V.

Verùm, quia alimentum dum in quadruplici coctione purificatur, &, ut sic loquar, dolatur, non est eiusdem

generis cum illo, quod post coctiones dictas exsistit: fit, ut excrementum sit genere duplex.

VI.

Quod enim in singulis coctionibus deciditur, excrementum vocatur Jnutile. Vt enim Philosophus ait, ab hoc μηδὲν ἔτι συντελεῖται ἐπὶ τὴν φύσιν, ἀλλ' ἀναλισκομένου πλείονος μάλιστα κακοῦται. Quare etiam excrementum nominatur qualitate: quod non habeat eas qualitates, quæ alimento, in partes abituro sunt propriæ.

VII.

Quod autem post coctiones singulas superest, aptũ jam factum, ut in partes transire possit: sicubi non transit, sed alii usui servatur, excrementum appellatur Vtile. Vt enim idem Philosophus docet, obtinet naturam contrariam illi. Quare etiam excrementum nuncupatur, Quantitate: quod habeat omnia, quæ habere debet, nisi quod in majori copia est.

Quod ad excrementa inutilia,

IIX.

Oportet heîc ὑποτίθεσθαι, In unaquaque dictarum coctionum fieri duplex tale excrementum, Alterum tenue, Alterum crassum.

IX.

PRIMÆ ergò coctionis, quæ initium accipit in ore, sed celebratur in ventriculo, excrementum tenue est Pituita naturalis, quæ & Insipida dici solet, & Dulcis. Vocatur Naturalis, quia gignitur à Naturâ benè operante, ex necessitate materiæ alimentalis.

X.

Habet autem suam tenuitatem ab aquâ. Quod enim in assumpto alimento frigidum & humidum est adeò, ut ad mediocritatẽ illam, quæ sanguinis est, ascendere

dere non possit; heic seponitur, Natura tamen abutitur illo ad alia,

XI.

Quod enim elaboratius & tenuius est, sursum mittit ad tonsillas. In quibus postquam substantificè alteratum est, dicitur saliva; Est enim crassior & calidior pituitâ matre. Eius ad loquelam, masticationem, adeoque primam coctionem Natura valdè eget. Hoc cum in majori copia est, antequam alteretur, cum aut sine screatu ejicitur.

XII.

Huic ejectaneæ pituitæ κατὰ φαντασίαν similis est substantia illa, quæ cum tussi perpetuò exit, & sputum appellatur nobis. Alîus enim naturæ est: illius ut plurimum, cujus Mucus, de quo infrà.

XIII.

Quod autem crudius & crassius est, in casu quidem necessitatis facessit in sanguinem, si medicis fides est, extra autem illum ablegatur ad intestina, quibus geminā præstat utilitatem, 1. facit illa lubrica, ad commodiorem fæcum, de quibus agetur, exitum, 2. præbet illis armaturam, contra acrium humorum influxum. Multò tamen maxima pars cum fæcibus descendit.

XIV.

Hanc pituitam contingit aliquando fieri Acidam: contingit etiam fieri Salsam, Et tum talis quoq; est saliva.

XV.

Acida fit, & primam dat pituitæ præternaturalis speciem, cum supervenit illi calor externus, qui facit exhalare tantillum eius calorem naturalem. Hæc actio, quia superficiaria est, non mutat temperiem ipsius. Ob similitudinem quandam vocatur etiam Acida pituita,

cum chylo bene elaborato, antequam didatur, tale quid accidit. Ob eandem nominatur etiam Acida pituita, cum calor debilis ex cibo ingesto facit, non chylum, qui dulcis est, sed acidum quid.

XVI.

Hic sapor aliquando ita intenditur, ut acerbus videatur: facit enim αἱμωδίαν. Hinc quidam statuerunt novam pituitæ præternaturalis speciem, quam Acerbam seu Ponticam appellant: verum id necesse non est. Nam, autore Galeno, hi duo sapores ferè sunt simul. Et observatum non est, pituitam acerbam alios ab acida edere effectus.

XVII.

Quos quia edit, licet etiam Acida sit, quam Vitream primus dixit Praxagoras; necesse est distingui illam ab Acidâ.

XIIX.

Sed & ob id distingui necesse est, quia fit ab alia causa. Quoties enim, quæ jam acida est, ob longiorem in ventriculo, intestinisve moram, tam viscida evadit & lenta, ut, amissa penè omni humiditate, vitro fuso fiat similis: Vitrea dicitur.

XIX.

Hæc affert secundam pituitæ præternaturalis speciem usque adeò frigidam, ut qui illius copiam collegerunt, sentiant frigiditatem eius, ut de se ipso scribit Galenus.

XX.

Salsa fit apud Galenum, & præbet tertiam pituitæ præternaturalis speciem, cum aut putrescit, aut miscetur illi salsa serosa humiditas. Posse tamen tertio quodam modo etiam salsescere, nimirum cum miscetur illi bilis: non valdè nego.

Hæc

XXI.

Hæc jam in contrariam temperiem translata eſt. Calida enim & ſicca eſt, ut aqua marina. Sed maximè, quæ à putredine talis eſt; minus quæ à miſtura.

XXII.

Salſæ pituitæ ſi quis jungere velit Amaram, ei non pugnabo, modò concedat mihi illud Philoſophi, à diſcipulo Theophraſto repetitum, Amarum & ſalſum eſſe ferè idem.

XXIII.

EIVSDEM primæ coctionis excrementum craſſum faciunt Fæces alvi, quarum jam facta eſt mentio. Ita enim à plerisq; omnibus nuncupantur, & ſortiuntur eandem cum pituitâ dicta generationem.

XXIV.

Habent autem craſſitiem ſuam à terra. Quod enim in alimento aſſumpto frigidum & ſiccum adeò eſt, ut non poſſit attingere bonitatem ſanguinis: relinquitur cum pituita, & cum eiuſdem ſuperflua parte vacuatur quotidie ope bilis, de qua jam.

XXV.

SECVNDÆ coctionis, quæ fit in hepate & liene, excrementum tenue eſt Bilis naturalis, quæ vel ſimpliciter ita appellatur, vel cum additione, Flava, Pallidáve. Vocatur naturalis eâdem cum priorib. duobus excrementis ratione.

XXVI.

Habet autem tenuitatem ſuam maximè ab aëre. Quod enim in chylo, ad hepar tranſumto, pinguiſſimum & dulciſſimum eſt, dum à calore, aliud agente, uritur, & quaſi ſuperaſſatur: amareſcit, & fit inutile ad alendum, ob caliditatem et ſiccitatem ſuam.

Ideo

XXVII.

Ideò Natura per poros choledochos ex hepate colligit, in veſicam vicinam, è qua dum effertur per certum quendam ductum in inteſtinum duodenum, abutitur illo Natura ad admonendum inteſtina officii ſui.

XXIIX.

Hac via ſi non exeat ſuo tempore, diutino calore ita exſiccatur, ut craſſitie ſimilis evadat crudorum ovorum vitellis. Et jam dicitur Bilis vitellina, quæ facit primam bilis præternaturalis ſpeciem, longè calidiorem & ſicciorem naturali, ob modum ſubſtantiæ, ob quem Diabolicam vocabat illam Præceptor.

XXIX.

Sed dicitur ita Græcis tantum. Apud Arabas enim Bilis vitellina fit duobus aliis modis, 1. admiſtione pituitæ, quam Bilem illi vocant majoris famæ, 2. admiſtione Melancholiæ, quam minoris famæ.

XXX.

Sin ſuperveniat calor aliquis ſubitus, amburitur, & accipit primum nigredinis gradum, qui viridis eſt, ut ærugo Ideò jam dicitur Bilis Viridis ſeu Æruginoſa, quę facit ſecundam ſpeciem bilis præternaturalis, & ipſam naturali calidiorem & ſicciorem.

XXXI.

Sed iterum dicitur ita Græcis tantum. Apud Arabas enim (qui zinariam vocant) fit bilis Æruginoſa non ex bile flava uſta, ſed ex Porracea, de qua mox.

XXXII.

Vbi hoc monere oportet, Viridem ſeu Æruginoſam bilem mentiri aliquando dejectiones virides aqueas. Aqua enim corrumpitur in virorem, ut ex Ariſtotele oſtendi poteſt.

Quod

XXXIII.

Quod si calor ille subitus sit valdè violentus, fit alter nigredinis gradus, qui à colore cæli, marisve, cæruleus vocatur, & habet cum virore aliquid obscuræ nigredinis. Ideò dicitur Bilis cærulea, & facit tertiam bilis præternaturalis speciem valdè calidam & siccam.

XXXIV.

Si etiam violentior sit, fit tertius gradus, jam manifestè nigricans, qui à colore herbæ Isatidis seu glasti nomen accipit. Ideò vocatur Bilis Isatodes seu Glastea, & facit quartam bilis præternaturalis speciem non minus calidam & siccam.

XXXV.

His superadditur, & pro quinta bilis præternaturalis specie (quod eiusdem penè sit cum prædictis temperiei & coloris) censetur humor quidam in ventriculo corruptus ex calidioribus cibis, qualis est beta, brassica, allium, porrum. A quo porro nominatur bilis Porracea.

XXXVI.

EIUSDEM secundæ coctionis excrementũ crassum est Melancholia naturalis, eodem cum cæteris jam dictis respectu ita vocata.

XXXVII.

Habet autem crassitiem suam pariter à terra. Cum enim qui ad lienem it chylus sit terrestris, licet multa aqua perfusus: postquam lien illum confecit, quod terreum & nigrum (non sine empyreumate ut in cinere) superest, ibi primum relinquitur, deinde per certa vasa, præc puè hæmorrhoidalia, cum tribus jam dictis secedit. Neq; enim quidquam huius ire sursum ad ventriculum, ulliq; ibi bono esse: alibi demonstravi.

XXXIIX.

Quod si contingat non abire per dictum locum suo

tempore, insigniter augetur empyreuma, ut ex humore frigido & sicco naturali, fiat calidus & siccus præternaturalis. Ideò apud accurratè loquentes dicitur non μελαγχολία, sed μέλαινα χολὴ, & constituit primam Atræ-bilis speciem.

XXXIX.

Alteram speciem constituit, si ustio superveniat alicui bilis præternaturalis speciei. Et hæc longè deterior est illa. Terram enim fermentat, ut Medici solent loqui, & quibuscunq; partibus allabitur, eas lethaliter exulcerat. Non attingit illam ullum animal, ne musca quidem. Non gignitur in illa ullum animal, ut neq; in mari mortuo. Splendet bituminis instar.

XL.

Tertiam facit, quæ ex sanguine usto, seu potius incrassato fit. Hæc mitior est, & creditur frigida sicca esse, ab initio quidem sine empyreumate, postea non dissimilis aliis.

XLI.

Quarta, quæ ex ustione pituitæ alicuius exsistit. Hæc, quia negotium habet valdè impeditum, non potest heic expediri.

XLII.

Tertiæ coctionis, quæ fit in corde (nam hunc locum tribuit illi Natura ipsa) excrementum tenue est Contentum, quod dicitur, urinæ. De cuius temperamento judicare licet ex nomenclatura veterum: Crudum enim humorem appellabant.

XLIII.

Eiusdem coctionis excrementum crassum est fuligo illa Galeno dicta, quæ pellitur, cum per nares & os in exspirationibus thoracis, tum per arteriarum fines in earundem dilatationibus. Huius temperiem loquitur vox ipsa.

Qvar-

XLIV.

QVARTÆ coctionis, quæ administratur in partibus singulis, quatenus aluntur, excrementum utrumq; in superficie ferè tantùm est perspicuum, seu cute: esse tamen in omnibus pariter, detrudiq; ab his, ope præcipuè exercitiorum, ad cutem, non ratione duntaxat colligitur, sed & experimento comprobatur.

XLV.

Tenue est vaporosum illud, quod singulis momentis, mediantibus cutis poris, per ἄδηλον αἰσθητῇ διαπνοὴν vacuatur. Eius vestigia sunt, præcipuè in iis, in quibus lentius est, sordes, seu strigmenta, quæ in balneis abstergimus.

XLVI.

Crassum est halituosum illud, quod eadem semita & eodem modo vacuatur. Clarius autem manè postquam surreximus, per oscitationes, pandiculationes, aliosq; motus.

XLVII.

Dixi, Ferè tantum. Ex omni enim numero tres sunt partes, quæ propter copiosum, quo indigent alimentum manifestas habent excrementorum quasdam purgationes.

XLIIX.

Princeps est cerebrum, cui tamen accedit alia etiam causa, ascensus halituum vaporumque ex inferioribus. Huius igitur excremento quidem crasso cum halitibus Natura secuit viam propriam, suturas calvariæ: excremento autem tenui, unà cum vaporibus (vocantur hæc duo uno verbo Blenna seu Mucus, aliquando Pituita ob similitudinem) deorsum duas alias.

XLIX.

Quod enim huius colligitur intra meningas & ex-

terioremc cerebri corticem cinereum, coitq; qua parte cerebrum eſt διφυὲς, & eminentia quædam in corpore calloſo, juxta quam utrinq; canalis: defluit ad os Ethmoides, & per hoc ad nares, per quas elabitur.

L.

Quod verò colligitur in medulla, ſeu parte cerebri alba, coitq; in ventriculis: defluit per infundibulum in glandulam pituitariam, à qua combibitur, & tandem per os Sphenoides in palatum venit.

LI.

Per errhina igitur educitur ille tantum: per maſticatoria hic tantum.

LII.

Altera ſunt oculi. Et horum quidem excremento craſſo non parata fuit via peculiaris, quod, in parte aquea & molli, paucum ſit omnino, & illud ipſum facile effugiat: excremento autem tenui in caſu neceſſitatis dedit foramen illud orbitæ, cui caruncula, ἐγκανθὶς dicta, ſuperimponitur, ut per illud in cavitatem narium penetret.

LIII.

Caſus eſt, ſi excrementi huius major ſit copia, quam humectando (in continua illa motione) oculo convenit. Nimirum, hic eſt abuſus huius excrementi in hac parte. Quod ſi forte fortunâ accedat externa cauſa, quæ inſignem ſpirituum agitationem faciat: effluit per angulos. Lacrymas appellant tunc, & aliquando cum additione, veras ſeu legitimas.

LIV.

Huc pertinent Gramæ ſeu Lemæ, quamvis illæ tum fiant tantum, cum alimentum oculi ſemicoctum ſub ſpecie excrementi pellitur.

LV.

Tertia ſunt aures. In quibus licet non ſit privatus

excr-

excrementis exitus: id tamen mirabile est, quod per membranam densissimam (Tympanum vocant Anatomici) exsudat tam crassa materia. Esse autem reliquias utriusq; excrementi monstrat & lentor & amaror,

LVI.

Atq; hæc sunt excrementa coctionum, quà coctiones. Quæ quoniam sibi invicem succedunt: necesse est, alimentum coquendum de officina in officinam ferri. Ferri autem cum non possit sine illo, quod Hippocrates nominat ὄχημα τῆς τροφῆς; & vero ὄχημα illud sit potus simpliciter dictus, seu aqua, quæ non nutrit: exsultat hinc aliud excrementum inutile, omnibus coctionibus commune, quod serum vocatur. Id salsum est, ob perpessas tot alterationes.

LVII.

Huius maxima pars, post factam primam, secundam & tertiam coctionem, expellitur per renes & vesicam: & dicitur Vrina.

LIIX.

Quod in quarta superest, servit partibus pro illarum humectatione actuali: vnde perpetuus internarum mador. Quod si accedat fortè externa causa, facto initio ab eo, quod propè superficiem est, & succedente illo, quod in profundo est: guttatim emanat per poros cutis & Sudor vocatur.

LIX.

Cum sero magnam habent affinitatem Ichores quidam, de quibus (ut in genere de omnibus) seorsim.

Quod ad excrementa utilia,

LX.

Purificato hoc modo alimento, & ad eam mediocritatem perducto, ut alere possit: quod non alit, dicitur excrementtm, sed utile.

LXI.

Est autem utile vel speciei, vel individuo.

LXII.

Quod speciei, vel semen est utriusq; sexus. Ex hoc enim constituitur animal.

LXIII.

Vel lac, fæminis proprium. Hoc enim alitur animal, in lucem editum.

LXIV.

Quod individuo, vel pinguedo est. Hac enim sicca tenuiaq; corpora, inediis, exercitiis, caloribus aliis celeriter aliàs exsiccanda, humectantur.

LXV.

Vel medulla ossium. Hæc enim quatenus pinguedo est (& eatenus est excrementum) idem facit ossibus partium omnium, si pilos excipias, siccissimis, quod pinguedo facit aliis partibus. Quatenus continet in se alimentum ossium, apud minus accuratè loquentes dicitur alere ossa.

LXVI.

De horum temperamento si quæras, dicetur tibi, Calida & humida esse, perinde ut sanguis. Nimirum, Calidum & humidum in certo gradu est idem cum Temperato seu Mediocri.

FINIS.

